

liatio & hereditas nostra est, ipseq; ad-
 eo Christus totus secundum divinita-
 tem & humanitatem noster est (nam
 Deus totum Christum nobis donat in
 Salvatorem, ut tot⁹ noster sit cum sua
 persona, officio, gratia, gloria & beati-
 tudine) ea vero unica summaq; nostra
 est consolatio, gloria, laus, honor, cha-
 ritas, gaudium, pax coram Deo cun-
 ctisq; angelis & electis, summa sapien-
 tia, fortitudo, virtus, victoria, trium-
 ph⁹ de peccatis, morte, diabolo, infer-
 no, condemnatione, mundo & hosti-
 bus. Pro quo Deo sit laus in æternum,
 Amen. *CAPIT IV.*

FIDEM SALVIFICAM IN VERO
 Christiano operari fructus justitiæ ex
 penitissimo cordis fundo sine hypo-
 crisi: ipsumq; adeo Deum ex eodẽ fun-
 do omnia externa opera metiri
 & æstimare.

*Ad Phil. i. Hoc oro, ut sitis sinceri &
 sine offensa in diem Christi, reple-
 ti fructu justitiæ per Jesum Chri-
 stum in gloriam & laudem Dei.*

Verus Christianus per fidẽ in Chri-
 stum nõ tantum justificatur, sed
 etiam